CAROLI CARSI
PONTIFICIS AC DVCIS LINGONVM, FRANCIAE PARIS, & ſacri Concilij Senatoris Oratio,

Ad ampliſsimos Legatos Polonorum Metis habita, Anno Dom. M. D. LXXIII. A. D. IIII. Id. Auguſti.

PARISIIS,

Ex Officina Petri l'Huillier, via Iacobæa, ſub ſigno Oliuæ.

1573.

CVM PRIVILEGIO.

CAROLI CARSI
PONTIFICIS AC DVCIS LINGONVM, FRANCIAE PARIS, ET *ſacri Concilij Senatoris, Oratio ad ampliſsimos Legatos Polonorum Metis habita, Anno Dom. M. D. LXXIIII. ante diem IIII. Id. Auguſti.*

CVM DE VESTRA Legatione ad Regem Chriſtianiſſimum allatum eſt, ampliſſimi Legati, vos pro ſua maieſtate, & huius Imperij dignitate, magnificè admittere ac dimittere decreuit. Primùm, quod Legatis anteà nullis datum eſt, id vobis tribuendum putauit, vt delecto comitatu ad extremos vſque regni fines vobis obuiam veniremus, quò Regum, ac Reginarum, omniúmque principum, ac totius Senatus, populíque Franci, erga Senatum populúmque Polonum, eximiam voluntatem, fidem, amicitiam magis ac magis teſtificaremur, déque veſtro in Galliam aduentu vobis oratione, vultu, omníque ſplendido apparatu gratularemur, & in aulam Regiam deduceremus. deinde cùm nulla poſt hominum memoriam Legatio magis honorifica ſit ab vllis Principibus aut populis ad Principes miſſa, quàm quæ eſt à Senatu populóque Polono in Galliam decreta: ſic etiam publicæ gratulationis ac lætitiæ modum

nullum Rex adhiberi voluit, ſed omnes omnium arces, vrbes, oppida, veſtræ dignitati iuſſit & amplitudini patêre. Neque vos illud commoueat, ampliſſimi Legati, ſi plerique tùm alacri, tùm etiam mœſto vultu vobis eſſe videbuntur. Sic enim exiſtimare debetis, regis Poloni creationem varios ac diſcrepantes animorum motus, mœrorem, inquam, ac lætitiam in vniuerſa Gallia excitauiſſe: ita vt incredibile videatur, quod tamen verum ſit, eoſdem angi ſimul & gaudere, mœrere ac lætari. Acerba quidem viſa res eſt bonis omnibus, à tanto támque generoſo principe Rem illam publicam deſeri, quam anteà præcipiti caſu ruentem, ſalutaribus regis auſpiciis, ab interitu vindicauit: eóque acerbior, quòd illa incẽdia quibus, ſed reprimere nos oportet, ne quid malè ominari videamur. Iam verò cùm huius imperij gubernacula Rex optimus Carolus veſtri regis fidei ac prudentiæ concrediſſet, eiúſque conſiliis ac virtute claras & illuſtres victorias adeptus eſſet, maiores etiam ſperaret, quid mirum ſi pleriſque acerbiſſimum videtur tanti ducis præſentia, conſilio, virtute carêre? Sed cùm eundem nunc à vobis acciri vident, vt in altiſſimo dignitatis & honoris gradu ad Imperij quoque veſtri ſalutẽ conſtituatur, profectò lætari neceſſe eſt, ne regi veſtro ſuam fortunã, vobis veſtram fœlicitatẽ, Frãcis omnibus ſuam gloriã inuidere videantur. Ac tametſi mœroris & lætitiæ modum tenere difficile eſt, qui tamen ciues de regis Poloni creatione propterea inſoleſcunt, vt illum aliquando abeſſe gaudeant, de ſua leuitate ac nequitia: & qui ſine quadam lætitia dolent, de inuidia ſua confitentur. Quid enim Gallorum nomini glorio-

ſius vnquam accidit ab exteris populis, quàm hominem Gallũ regno tam amplo atque opimo beari? quid principi fortunatius contingere poteſt, quàm ſumma populi voluntate conſequi regnum, cuius adipiſcendi cauſa homines omnia iura violare conſueuerunt? quid à diuina maieſtate propius abeſt, aut in rebus humanis auguſtius eſſe poteſt, quã regia poteſtas? at hæc omnia veſtro regi non priùs quæſita quã oblata, nec petita quã delata fuerũt. Tantam igitur fœlicitatẽ, tantũ in ſumma fortuna imperium regi veſtro tributũ ægrè ferre, inuidi magis eſt quàm amici, aut ſeipſum potiùs amãtis quã regem. Sin quiſquam eſt de huius Imperij ſalute magis quàm de ſua ſollicitus, omni metu ac ſuſpicione facilè ſeſe liberabit, ſi planè intelligat, id quod vnicuique perſuaſum eſſe debet, regis veſtri creationem non humanis artibus aut conſiliis, ſed diuina procuratione ac ſapientia cœptam & cõfectam fuiſſe. Primùm quidem poteſtates omnes ac imperia Dei præpotentis munere & conceſſu tribui, toties ac tam apertè ſacræ literæ declarant, vt dubitare, ſcelus: ambigere, nefas ſit. deinde cùm diuina illa prudentia in omnibus omnium imperiis conſpicua ſit, tùm verò clariùs ſeſe oſtentat in iis, quæ non edicto ſucceſſorio, ſed ſumma populorum inter ſe conſpirantium fide & conſenſione ad hominem peregrinum deferuntur: propterea quòd qui res humanas ex fortunæ temeritate potiùs quàm ex diuina ſapientia interpretantur, imperia fraudibus ac dolis, aut armorum vi ac metu, aut ereptis ſuffragiis & gratia extorqueri putant. At regis Poloni creatio, nec ſordibus vllum, nec fortunæ locũ reliquit: ſed ſola virtutis com-

mendatione sceptrum illud, quod ab omnibus Europæ principibus tanta cupiditate appetitum est, vni Andium duci extra sortem ab immortali Deo reseruatum intuemur. Sunt hæc regali & augusta principis electione digna: illud tamen magnificentius est, quòd in vestris comitiis non aliorum Principum legionibus territi, non finitimorum regum potentibus studiis persuasi, non Gentilium propinquitatibus adducti, vnius remotissimi principis virtuti ac veræ gloriæ fauistis. Neque tantummodò ducem Andium regem fecistis, quod est ipsum per sese amplissimum, sed ita fecistis, quomodo pauci facti sunt, peregrinus anteà nemo. Nō enim tacita suffragia paucorum, sed viua vox omnium: non ambiguæ aut obscuræ singulorum sententiæ, sed vniuersi Senatus populíque Poloni iudicia, voces, ac plausus sibi congruentes, tanta cum acclamatione regem declarauerunt, vt ne Dei quidem vox, si tunc intonuisset, exaudiri potuisse diceretur. &, vt nullum diuinæ bonitatis indicium deesset, cœlum ipsum, quod anteà triste ac turbidum extiterat, illo die, qui comitiorum fuit extremus, repentè serenum clarissima cum luce affulsit, vt non modò Sol ipse ac sidera cœlestia, sed etiam Deus optimus max. illa trāquillitate certissimam suæ voluntatis mortalibus testificationem præberet. Cùm igitur humana suffragia diuino testimonio comprobata sint, quid aliud est ægrè ferre diuinam illam Regis vestri renunciationem, quàm Deum ipsum, cui nulla vis resistere potest, oppugnare velle? Aut quis dubitat quin Deus immortalis, qui vestros sensus ac voluntates impulit ipse per sese, optatissimum exitū idem

ſit allaturus?Neque enim Regi Chriſtianiſſimo prudentia,nec opes,nec animi vis vnquam deerit,quibus Rempublicam per ſe ipſe tueatur. habet etiam præterea duces exercituum fortiſſimos, quibus hoſtium impetus coërcere ac retundere facilè poteſt. quæ cùm intelligeret rex Polonus, aſſentiẽdum putauit diuinæ primùm voluntati, deinde conſilio Chriſtianiſſimi Regis,ac ſapientiſſimis Polonorum decretis, qui Regis vtriuſque precibus ac rogationibus acquieuerunt. Fallunt enim, qui Regem veſtrum imperãdi cupiditate potiùs quàm veriſſima laude, quàm rerum gerendarum maxima ſpe teneri putant. vbi enim gentium maiore cum voluptate imperaret,quàm in Frãcia? Nam cùm Regi Chriſtianiſſimo fratris integritas,prudẽtia, fides comperta fuiſſet, non dubitauit illum ſibi potentia, opibus,imperio ſecundum deſignare,omnéſque militaris ac domeſticæ diſciplinæ rationes illi committere. quid autem aliud eſt regnum, quàm ſumma Principis legibúſque ſoluta poteſtas? hanc à fratre Chriſtianiſſimo Dux Andium pro ſua virtute adeptus fuiſſe videtur. Certè quidem tanta fuit regis Poloni erga Regem Chriſtianiſſimum modeſtia,vt eius imperio ac legibus parêre,quàm alibi, id quod omnes intelligũt, regnare glorioſius eſſe duceret. Sed cùm idẽ ipſe ſummo quoque Imperio dignus omnium conſenſu iudicaretur,nec vllum in orbe terrarum vniuerſo regnum veſtro nobilius eſſe Rex audiret, Legatione ad S. P.Q. Polonum decreta petiit,vt in veſtris comitiis ratio ducis Andium haberetur. beatum te,Valentinorum diſerte pontifex, cui contigit,vt cùm ætas ingraueſceret iam tua, pulcherrimum hunc vitæ

tuæ,quaſi fabulę, extremum actum obires! Huic rogationi S.P.Q. Polonus non modò libenter acquieuit, ſed eum inter tot,tantíſque virtutibus,opibus, ac nobilitate claros competitores, non ſolùm ampliſſimo regno dignos, ſed partim etiam reges potētiſſimos,Henrichum ducem Andium prætulit,ac tanto imperio digniſſimum iudicauit. & rectè quidem iudicauit. Quis enim regi veſtro vel bellicis laudibus, vel vlla virtute (excipimus Regem Chriſtianiſſimum) comparari poteſt? Nam cùm optimè ſit à natura, vberiùs etiam à doctrina informatus, omnium virtutum orbem ita complexus eſt,vt cum ætate florenti omnes in eo virtutes ſimul efloreſcant: quinetiam ætatem ſapientia ipſa longè ſuperauit. id quod vel à puero ſatis intellectum eſt. Cùm enim ætate adhuc molli ac tenera ad ſolidam gloriam & verum decus informaretur, iamiam immortalitatis amore flagrabat: & quoties aliorum principum geſta narrantes audiret, ille admirari, interdum etiam ingemiſcere ſolebat, vt iam virtutum pulcherrimos fructus parturire videretur. nec ſpem hominum fefellit. Nam ſimul ac impubes ad exercitus & caſtra vocatus eſſet, vt pro patriæ ſalute propugnare conſueſceret, breui tantùm profecit, vt famæ amplitudine terrarum orbem impleuiſſe videatur.Neque enim victorias,quas fuſis & fractis partium ducibus adeptus eſt, hîc commemorare neceſſe habemus, quóque modo cædem,incendia,rapinas,libidinem,à ciuium ſuorum vita, tectis, fortunis, corporibus arcuerit: quę tam magna ſunt, vt neque prætermitti ſine flagitio,ac tam multa, vt nullius orationis vbertate contineri poſſint. Sed tamen cùm ea

gesserit,

gesserit,quę princeps illa ætate nullus (semper excipiamus Regem Christianissimum) cùm etiam verissimis laudibus ac triumphis in cœlum vsque vehatur: quibus rebus homines quasi secundo fortunæ flatu intumescere consueuerunt: in eo tamen principe tanta est animi moderatio, vt nihilo maior, sed etiam summissior sit: vt videatur solis cursum imitari, qui quò altiùs è terris euehitur, eò minor apparet. quo fit vt mista illa modestię grauitas, omnes omnium oculos in vnius sui rapiat admirationem. Hęc apud vos quidem, clarissimi Oratores, etsi purè ac sine amplificatione dicuntur, ea tamen nullus ausit eo pręsente pędicare. Nam cùm eius animus ab omni assentatione abhorret, tùm verò iustissimas ac suę virtuti debitas laudes sine rubore ac pudore ferre nullo modo potest, vt tùm etiã in eius ore ac vultu efflorescat virtus ipsa. Quid autem attinet dicere de generis splendore ac nobilitate, quo vno tamen homines sese diis æquare conantur? vt enim reges omnes, qui toto terrarum orbe longè latè imperia propagarũt, in vnum conferãtur, non sunt (absit inuidia dicto) non sunt, inquam, cum antiquitate ac nobilitate gentis Valesię comparandi. Nam quod fabulosè Caius Cæsar in concione populi Romani à diis ortus sui primordia repetere ausus est, id verissimè ac optimo iure pędicare possumus de gente Valesiorum, quę & principes habet in numerum diuorum relatos, & reges ab vna & eadem stirpe plures enumerare potest, quàm Heraclidarum, quàm Arsacidarum, quàm Iuliorum gens regulos habuit vnquam, qui tamen innumeris parricidiis ac cędibus sui generis claritatem fœdissimè labefactarunt:

quod plerisque principibus nescio quo fato misero funestóque accidisse videmus, qui nec parêre, nec imperij socios ferre potuerunt. at in gente Valesiorum nulla parricidia extitisse videmus: tametsi gens illa non modò Francorum, sed etiam Polonorum, Britannorum, Insubrum, Neapolitanorum, Siculorum, Florentinorũ, Hungarorum regna, ipsiúsque imperij Gręcorum arces ac sedes diu tenuit, aliósque ex aliis principes perpetua serie ad hęc vsque tempora propagauit. omitto regna Syrię, Castellę, Aragonię, quæ optimo iure Valesia domus sibi vindicare potest. O diuinam beati Ludouici stirpem! ô fœlicem Valesiorum gentem, quę non modò Frãcis, sed etiam exteris nationibus regum seminarium educare consueuisti! Neque enim nouum est, clarissimi Oratores, quòd S.P.Q. Polonus ex hac principum officina regem sibi nunc deposcit: cùm anteà Ludouicum regem Hungarorum Caroli Martelli filium, cuius auus diui Ludouici frater ad Italiæ sceptra vltrò vocatus erat, ex peregrinis principibus, Cazimiri magni consilio, regem Polonorum designarit, ac recusantem precibus accire non dubitarit: cuius erga Deum religionem, pietatem in patriam, charitatem aduersus peregrinos, iustitiam in omnes tantoperè adamauerunt Poloni, vt eum absentem per Legatos imperare permiserint, eiúsque filias Mariam & Heduigem, repulsis omnibus finitimis principibus, reginas sibi depoposcerint, tametsi fœminarum imperia semper abhorruissent. Sed quoniam optimi principis memoria vestros animos dolore perculit, vt quidem intuemur, reticendum nobis est, ne vobis acerba sit oratio nostra. Non igitur mirum vi-

deri debet, ſi nunc intermortua ſtirpe Iagellonis, qui Heduigem ſibi deſponderat, nunc rurſus ad gentem Valeſiorum regni ſceptra detuliſtis. O magnum & excelſum principem, qui iam hac ætate de tuis virtutibus tantam famam excitauiſti, vt exoriẽtis tuæ laudis ſplendore tot principum oculos præſtringeres! Atque in eo quidem valdè laudanda nobis eſt Polonorum ſapientia, qui vnius principis virtutem omnibus omniũ opibus ac promiſſis prętulerunt. Sed cuius tandem regni, cuius populi Henrichus rex electus eſt? an vnius vel alterius oppidi, quales ferè Gręcorum veterum ac Latinorum reguli? an etiam ignauorum ac imbellium hominum? minimè verò: ſed Polonorum, & eius imperij, quod multò latiùs patet, quàm Francorum. & certè quantum ſit, vel ex eo intelligi poteſt, quòd rex Iagello principatum Bohemię, Sigiſmundus verò Auguſti pater, Danię, Bohemię, & Hungarię regna non petita, ſed vltrò delata repudiarunt, vt iucundiùs illo regno, quod frugum vbertate & copia nulli cedit, ac ſuauiſſima conſuetudine Polonorum fruerentur. Cùm dicimus Polonos, minimè verendum eſt ne non ſatis intelligatur qui qualéſque ſint, quos etiam ſi ſuo ac proprio nomine non appellaremus, attamen ex illa formæ dignitate qua pręſtãt, ſatis illos deſignaſſe videremur. ſed præter corporis & animi vim ac robur, nobilitate quoque ac rerum geſtarum gloria nullis populis inferiores ſunt. Nam Tartarorum influentes in Europam copias ſæpè repreſſerunt: ſępius Turcarum legiones fregerunt: ſępiſſimè Moſchouitarum exercitus deleuerunt: ſemper Germanorum Imperatores à regni finibus procul repu-

lerunt.ac prẹter Daniẹ regnum quod ſuis legibus anteà ſubiecerãt, Valachiam, Podoliam, Maſſouiam, Pomeraniam, Pruſſiam, Sileſiam, Lituaniam cum regno Poloniẹ coniunxerũt: gentes immaniſſimas & crudeliſſimas à feritate & impietate gẽtili ad humanitatem & verum Dei cultum reuocarũt. illud etiam maius eſt, quòd imperij ſui dignitatem inuiolabilem ad hẹc vſque tempora retinuerunt: quòd legibus ac pulcherrimarum artium cognitione domeſticam diſciplinam cum militari laudabiliter cumularunt: quòd tyrannorum vultus aut imperia ferre nunquam potuerunt: quòd penè ſoli ex omnibus populis antiquiſſimã regum electionem, qualem heroicis temporibus fuiſſe accepimus, ſumma cum libertate tuentur. Hẹc eſt, opinor, breuiſſima populi Poloni deſcriptio: quam ſi quis verborum luminibus illuſtrare ſe poſſe putet, is abutatur oratione & otio, cùm ne hiſtorici quidem infinita librorum multitudine, tametſi pura ac ſimplici explicatione vterentur, res à Polonis bello ac pace geſtas complecti potuerunt. O verè fortunatum regem, qui talem populum regere meruiſti! ô prudentem populum, qui talem tibi regem delegiſti! Nam quẹ optimo ac maximo principi optare ſolemus, ea vobis ſunt, clariſſimi Oratores, ab rege Polono ſperanda, vt ſcilicet ſapientiſſimis Senatus P.Q. Poloni cõſiliis ac decretis, quẹ dilapſa iam fluxerunt, reſtituat: vt improbos metu pœnarum coërceat: vt bonos prẹmiorum expectatione demereatur. ſi verò cum hoſtibus decernendum erit, vt iniuriam ẹquitate, temeritatem conſilio, arma armis, vim vi, à capite, à fortunis, à vita ciuium propulſet, nec vlla pericula pro po-

puli Poloni ſalute extimeſcat. Talem igitur principem inueniſtis, clariſſimi Oratores, qualem initio quęrebatis: apud quem nec preces ad iuſta impetranda neceſſarię, nec ad iniuſta extorquenda efficaces ſint: quem nec blandimenta deliciarum ad voluptatem, nec epulę ad ingluuiem, nec otium ad ignauiam, nec opes ad luxuriem, auocare potuerunt. Nam quęcunque animi neruos incidunt ac debilitant, à puero didicit abhorrere, famem ac ſitim perpeti, frigore & calore obdureſcere, imbres & puluerem perferre, legiones & exercitus ducere, armatas acies inſtruere, pręlia cum hoſtibus inire, arces obſidione cingere, denique omnia imperatoris optimi munera diligenter obire conſueuit. Quę cùm in illo ineuntis adoleſcentię flore, & in fratris optimi regno fecerit, qualem fore putatis, cùm robur ad ętatem adiunxerit? cùm in ſuum regnum peruenerit? etenim virtutis lumen illud in altiſſimo cęlóque proximo gradu honoris, quaſi in excelſa quadam ac ſublimi ſpecula collocatum, magis ac magis ſeſe oſtentabit. Et quemadmodum ingentia flumina minora ſunt vnde oriuntur, decurſu verò magnam vim aquarum euoluunt, eóque maiora fiunt, quò à fontibus & capitibus ſuis longiùs receſſerũt: ita quoque veſtri regis virtus & fama eò magis augebitur, quò ipſe ab ortus ſui principio longiùs diſceſſerit. Nam cùm intellexit aduerſus gentes indomitas, aduerſus acerrimos ac ferociſſimos omnium hoſtes bella ſibi futura, tùm alacriùs exultare cœpit: non modò vt nomen ſuum, quod iam cum æterna laude coniunctum eſt, ab obliuione, ſed vt populum ſuæ fidei concreditum tueri, ac imperij Poloni fines longiſſi-

mè propagare possit. Non igitur imperandi cupiditas illum ad hæc sceptra vocauit: quin potiùs mirum debet videri, tantum principem amicis, opibus, ætate, forma florentem, Galliæ delicias ac voluptates blandissimas dominas deserere, & in extremas Europæ regiones sua se sponte relegare. quid autem acerbius esse potest, non dicam tanto principi, sed priuato, non duci, sed philosopho, quàm à matre charissima, à fratribus amantissimis, à patria dulcissima, denique ab amicorum ac ciuium suauissimo complexu diuelli? rex tamen vester his omnibus imperij vestri decus ac iura maiestatis Polonorum anteponenda putauit. Atque in eo quidem superauit sua virtute Romanos, qui multarum gentium imperia per Legatos ad se delata recusarunt, quòd nihil inde vtilitatis sperarent. at rex Polonus non solùm vtilitates illas aspernatur, verumetiam census omnes ac reditus quos habet, qui certè maximi sunt, ad imperij Poloni splendorem detulit: nec tantùm opes ac pecuniã, sed etiam sanguinem ac vitam pro populi Poloni salute fundere nõ dubitabit. vbi enim melius sanguis spargi potest? vbi melius vita deponi, quàm pro salute suorum? sui quidem sunt Poloni, qui se vitámque suam, liberos, fortunas, regnum denique ipsum quantumcunque est, in eius fidem ac tutelam dederunt. ac vicissim Poloni suum Henrichum dicere possunt, quem suis suffragiis regem sibi cooptarunt. Cùm igitur rex Polonus Regis Christianissimi iussa libenter executus sit, cùm iam matri optimę pulcherrimum educationis fructum reddiderit: cùm patriæ salutem pepererit: cùm amicis ac ciuibus gratiam retulerit: quid amplius restat,

quàm vt regnum illud diuinitùs ad ſe delatum ſuſcipiat, ac prudenter regat? Et quidem ſi alia regni ſuſcipiendi cauſa nulla eſſet, hæc tamen ſatis magna illi viſa eſt, vt de Polonis omnibus quoad vixerit benè mereatur, vel potiùs benè de ſe meritis gratiam referat. Nam inter cæteras eius virtutes eximiam illam, planéque diuinam beneficentiam omnibus compertam nemo admiratur, propterea quòd illi eſt à natura ingenerata. cùm verò didicerit principatum non ſuę, ſed alienę ſalutis curam eſſe, omnes animi ſui cogitationes in id vnum cõtulit, vt ſemper maior ad eos, quos ſemel tuendos ſuſcepit, quàm ad ſe imperandi vtilitas ac lętitia perueniret. Iam enim agitat in animo rationes, quibus hoſpitalitate quidem Piaſtum, victoriarum multitudine Boleſlaum II. continentia Boleſlaum caſtum, pietate Ludouicum, fortitudine Iagellonem, iuſtitia cæteros omnes qui ſe anteceſſerunt Poloniæ reges ſuperare poſſit: tametſi omnium magnarum virtutum exempla domeſtica ei non deſunt, quę ſibi ipſe iampridem propoſuit & ad intuendum, & ad imitandum. Ex quo quidem iudicare poteſtis, ampliſſimi Legati, quot & quantę vtilitates ex hac regis Poloni creatione conſequuntur. Prima quidem hæc eſt, quòd S. P. Q. Polonus quaſi ſigno ſublato principes omnes orbis terrarum, ad quos ea fama peruenerit, ad virtutem, ad iuſtitiam, ad pietatem excitauit: tenues quidem opibus, locupletes gloria, omnes magnitudine præmiorum. nam cùm intellexerint vos ſola virtutis & famę conſcientia principem ab extremis oris terrarum arceſſere, quis dubitat quin eadem inflammati gloria toto impetu ad virtutes feran-

tur? deinde principem nacti estis, quod imperij vestri proprium est, cui nec in consiliis de Republica capiendis prudentia, nec in periculis adeundis fortitudo, nec in causis tenuium suscipiendis iustitia, nec in commodis Polonorum augendis grata animi beneuolentia defutura sit. certè quidem vobis suarum fortunarum ac virtutum suauissimos fructus, nobis sempiternum sui desideriũ relinquet. Illud verò quanti est, quod S.P.Q. Polonus Henricho rege creato, omni tyrannidis metu ac suspicione Rempublicã vestram liberauit? Neque enim satis est eum habere principẽ, qui tanta potestate sibi tributa nolit abuti, sed talem etiam, qui si maximè velit, non possit. at Poloni, vt sapienter omnia, sic etiam legibus, quas de imperio ac iure maiestatis à maioribus acceperunt, suos reges obligare solent, vt moderatis imperiis ac potestatibus ciuium libertas ali possit. quis autem legibus imperij libetiùs parêret, quàm Galliæ principes, qui etiam magistratuum iussis obedire consueuerunt? Nec verò si leges imperij vestri perrumpere vellet, Imperatoris opes ac legiones euocabit: nec item finitimorum principum quos habuit competitores, auxiliaribus copiis vtetur. Ex omnibus tamen vtilitatibus hæc vel maxima est, quę non modò Francorum ac Polonorum, sed etiam vniuersæ Reipublicę Christianæ salutem continet. quid enim ad imperium Christianorum tuendum ac augẽdum optabilius esse potest, quàm vt concordes principum ac populorum animi inter se & cum Republica Christiana coniungantur? quid ad vtriusque gentis consociationem & amicitiam sempiternam efficacius est, quàm ex eadem familia reges habere?

bere? quid pręclarius quàm duas nationes tanto locorum interuallo distantes arctissima regum societate copulare? nam quę fratrum inter ipsos amicitia semper intercessit, eadem inter vtrunque populum futura est, vt Poloni non minùs sint amore fratres Gallorum, quàm reges vtriusque nationis eodem sanguine creti, fratres appellantur. quòd si antiquo fœdere, quod Romani cum Heduis olim percusserunt, vno capite cauebatur vt mutuò fratres sese appellarent, tametsi nec legibus, nec moribus inter se congruerent: quantò nunc æquius est Polonos fratres appellari Francorum, qui non modò iisdem fratrum imperiis, ac inuiolabili fœdere, sed etiam morum tanta similitudine coniugantur, vt cùm Polonus in Francum incurrit, vbivbi terrarum fuerint, breui amicitiam contrahere cogantur? Iam verò cùm finitimi populi, quos vestri nominis ac fortunæ altitudo perturbat, intellexerint Polonos ac Francos eadem amicitia coniungi, quid ausuros putatis? aut quæ natio tam fortis, quæ gens adeò locuples futura, quæ duo regna potentissima ac bellicosissima, sanctissimis fœderibus inter se coniuncta, non metuet? Nam qui putant locorum intercapedine mutuis auxiliis nos inter nos adiuuare non posse, illi profectò de nostris antiquitatibus malè merentur. quis est enim qui nescit Gallorum legiones angustis Galliæ finibus contineri nunquam potuisse? nam præter imperium occidentis, quod Galli suis armis subegerunt, etiam Germanias, vtramque Pannoniam, Græciam, Syriam, Galatiam, suis imperiis ita subiecerunt, vt in Gallia ortum imperij decus per omnes gentes diffusum esse videatur. Tot igitur ac tantas

vtilitates, quas iamiam adepti videmur, non verbis extenuare, sed commerciorum fide, ac mutuis legum & armorum ſtudiis amplificare oportet. Sed cùm in hac maxima & exoptatiſſima gratulatione vnum vobis deſit, regis veſtri conſpectus, ac ſummo illius deſiderio nobis flagrare videamini, non longa vos oratione remorabimur: quinetiam deſiderium illud veſtrum augebimus, vt breui iucundiſſimæ ac ſuauiſſimæ gratulationis huius fructum vberiorem capiatis. Nam Galliȩ ſpecies, celebritas vrbium, pulchritudo regionis, ac fruges ipſæ de veſtro aduentu exultant ac lætantur: & cùm anteà fames inaudita Galliam premeret, nunc rerum omnium incredibili vbertate & copia Deus optimus max. regis Poloni electionem, veſtrúmque in Galliam aduentum vehementer ſibi placuiſſe comprobauit. Gratias igitur regio nomine, Senatui populóque Polono, ac vobis omnibus, clariſſimi Oratores, maximas agimus, maiores etiam poſthac vterque rex eſt habiturus. Et quoniam vos tam difficili ac longa regionum peragratione fractos ac fatigatos eſſe neceſſe eſt, illud à vobis impetrabit Rex chriſtianiſſimus, vt ſumma tranquillitate & quiete fruamini, vt in proſpera ac firma veſtra valetudine vobis alacritate maiore gratulari poſſit.

Dixi.

Extraict du Priuilege
DV ROY.

PAR grace & priuilege du Roy il eſt permis à Pierre l'Huillier marchant Libraire iuré en l'Vniuerſité de Paris, de faire imprimer & expoſer en vente les liures intitulez : *Caroli Carſi, Pontificis ac Ducis Lingonum, Franciæ Paris, & ſacri Concilij Senatoris Oratio, ad ampliſsimos Legatos Polonorũ Metis habita, An. Do.* M.D.LXXIII. *A.D.* IIII. *Id. Aug. La Harengue de meßire Charles des Cars, Eueſque de Langres, prononcee aux magnifiques Ambaſſadeurs de Poloigne à Metz, le huictieſme iour d'Aouſt, l'an* M. D. LXXIII. *l'Hiſtoire des Roys & Princes qui ont dominé en Poloigne depuis Lech premier Prince, iuſques au Roy Sigiſmond Auguſte dernier decedé: contenant l'origine, progrés & auancement de ce Royaume, auec les illuſtres & haults faits d'iceux, tant en paix que en guerre. Oratio Franc. Balduini I.C. De Legatione Polonica. Eiuſdem, De intelligentia L. Lecta.* Comme auſſi il eſt defendu par la Maieſté dudit Seigneur, à tous autres quelsconques d'imprimer leſdicts liures, iuſques à trois ans finis & accomplis, à commencer du iour que ſeront paracheuees leſdictes impreſſions, ſur peine de confiſcation de ce qui ſe trouuera imprimé, & d'amende arbitraire: le tout comme il eſt contenu plus au long és lettres de Priuilege ſur ce obtenues à Paris le vingtſixieſme iour d'Aouſt, l'an mil cinq cens ſoixante & treize. Par le Roy en ſon Conſeil. Signé MORE'. Et ſeellees du grand ſeel dudit Seigneur en ſimple queuë de cire iaulne.

Acheué d'imprimer le xxix. d'Aouſt. 1573.

Qu

Qu

Qu